turas. Attamen ex his omnibus periculis Dominus seruum suum tot annis ita liberauit, vt per omnia illa duxerit eum ad summam & perpetuam felicitatem. I. Vt semper hinc discamus non esse in manu hostium, vt noceant, sed plane in manu Patris: vt sciamus omnem mundi potentiam & sapientiam, omnes inferi portas frustra contra nos cogitaturas & bellaturas, nisi Pater dederit nos eis in manus. R. Quo clypeo armatus quisque fiduciam suã in aduersis confirmare, & animum suum consolari potest.

31 Prædicans regnum Dei, ac docens quæ ad Dominum Iesum pertinent, cum omni libertate loquendi, nemine prohibente.

PRÆDICANS REGNVM DEI. C. Regnum Dei & quæ ad Christum pertinent non separat quasi diuersa: sed hoc secundum potius explicationis vice addit: vt sciamus regnum Dei in redemptionis per Christum partę notitia fundatum esse & contineri. Docuit igitur Paulus, homines à regno Dei alienos esse & exules, donec expiatis peccatis Deo reconciliati, Spiritu renouantur in vitæ sanctitatem: ita vero demum erigi inter ipsos regnum & florere, vbi Mediator Christus & gratuita peccatorum remissione donatos, & regenitos in iustitiam Patri coniungit, vt cælestem vitam in terra inchoãtes ad cælum semper aspirẽt, vbi plena & solida gloriæ fruitio illis constabit. CVM OMNI FIDVCIA. C. Hoc additur vt sciamus Paulum voluntarium discrimen subiisse, & posthabito metu fideliter paruisse Domini mandato nec vllis difficultatibus fuisse territum, quin studium suum obuiis quibusque impendere pergeret. NEMINE PROHIBENTE. A. Hoc inter ingenita Dei beneficia computandum est, quod tanta Paulo libertas concessa fuit, F. Vt nemine prohibente doctrinam Euangelicam omnibus qui audire volebant prædicaret, proferens vaticinia olim prodita de Domino Iesu, tum illius facta, dicta, promissaque ad ea conferens. C. Neque enim cõniuentia id vel dissimulatione eorum qui obstare poterant accidit (quũ illis detestabilis esset religio) sed quia oculos illis Dominus claudebat. Quare nõ immerito gloriatur Paulus ipse, verbum Dei non fuisse vinculis suis alligatum, 2. Tim. 2. b. 9. B. Hucusque vero persequutus est Lucas actorum Apostolorum (Pauli potissimum) historiam. Quod autem non longius prosequutus est, non modo ea videtur esse causa quæ à plerisque creditur, quod morte interceptus plura non potuerit, sed quod eatenus illam persequi voluit quatenus religioni Christianæ conduceret, ac necessarium videret. Ideo ergo quum satis hactenus fideliter præstitisset, non erat quod lectorem copiosiori oneraret historia.

IN PAVLI APOSTOLI EPISTOLAS, CATHOLICA EXPOSITIO ECCLESIASTICA.

IN EPISTOLAM AD ROMANOS, ARGVMENTVM.

HAVIVS Epistolæ magna & incredibilis est vtilitas quemadmodum pij omnes vno ore fatentur: ita vt nullis verbis enarrari queat. Adeo vt si quis verã eius intelligentiã sit assequutus, ad recõditissimos quosq; Scripturæ thesauros adeũdos habeat apertas fores. M. Eius autem Epistolæ partes duæ sunt: prior continet longam disputationẽ maxime necessariam omnib. seculis, & vniuersæ Ecclesiæ. Continet enim præcipuos & proprios locos doctrinæ Christianæ, discernit Euangeliũ à lege & Philosophia, monstrat beneficia Christi, remissionem peccatorũ gratuitam, liberationẽ à morte æterna, imputationẽ iustitię donat onẽ Spiritus S. & vitæ æternæ. P. Hoc enim agit Paulus in hac Epistola vt omnes homines peccatores planeq; filios iræ & damnationis æternæ esse ostendat. Vbi hoc egit, declarat vnde iustificemur, nempe ex sola fide per Christum. A. In hoc enim versatur vsq; ad finem quinti capitis. C. Sit ergo nobis istorum capitum proposita thesis, vnicam esse hominib. iustitiam, Dei misericordiam in Christo, dum per Euangeliũ oblata fide apprehenditur. Verum quia homines suis vitiis indormiunt & blandiuntur, & falsa iustitiæ opinione se deludunt, vt se indigere fidei iustitia nõ putent nisi iam omni cõfidentia deiecti: rursum libidinum dulcedine inebriati atq; in alta securitate demersi sunt, vt nõ facile excitentur ad quærẽdam iustitiam nisi diuini iudicij terrore perculsi: vtrunq; exequitur, vt iræ iniquitatis eos conuincat, & torporem conuictis excutiat. Nam gentium supercilium deprimit, ostendens nihil illis profuisse neq; naturę legem, neq; philosophiam, (cuius professione tumebant) quo minus in omne scelerum dedecus prolaberentur. rursum Iudæorum arrogantiam coercet, qui Legis fiducia perdidissent id quod erat totius Legis caput, fidem in Christum Iesum: docens Legis ceremonias antiquas esse iam coruscante Christi Euangelio quem Legis vmbræ delinearant. M. Vt ergo semper Prophetis fuerunt certamina cum hypocritis, cum Sacerdotibus, qui dicebant populũ iustum esse Legis operibus: ita Paulus eandem causam agit, docens veram iustitiam ac perfectam salutem citra Legis auxilia per Euangelium ac solam fidem in Christum conferri ex æquo omnibus: licet ea salus peculiariter olim esset promissa Iudæis, sed ita his promissa vt Prophetæ nõ tacuerint, fore vt illis reiicientib. ad Gentes prædicatio Christi propagaretur. Docet etiam quid sit peccatũ, & quid sit gratia, ad quid Lex & sit data & doceatur. M. Deinde addit hoc propriũ esse Christi beneficium, auferre peccatum, & hunc esse vnicam victimam diuinitus destinatam ad placandam iram Dei. Atq; hic obiter varia multiplexq; doctrina habetur, de præfinitis siue prædestinatis, de præscitis, de vocatis, de gratia & merito, de humanis viribus de diuino consilio nobis inscrutabili, de duplici homine, externo & interno de duplici morte, corporis & animi, & ea quæ morimur peccato & peccãdi affectibus: de triplici vita, qua viuimus corpore, qua animo, & qua viuimus iustitiæ & peccato, de duplici seruitute aut libertate. Atq; post hanc præcipuorum capitum Christianæ religionis tractationem, addit quoq; quænam Christiana vita sit & conuersatio, adhortans ad mutuam concordiam exemplo membrorum corporis, & ad aliorum infirmitatem Christiana lenitate tolerandam, vt omnes in vnum corpus coalescant neq; quisquam sibi arroget quicquam: sed si qua dote præcellat aliquis, eam ad fratris opem accommodet. Vbi enim fides in Christum est, ibi certo quoq; Spir. S. est, qui homines in obedientiam erga Deum perducit, vt honeste & modeste sese gerant, neminiq; sint offendiculo. B. Ideo hortatur Apostolus Christianos, quales se præstare debeant erga principes ac magistratus ethnicos, sed suo vtcunq; fungentes officio. C. Vnde non dubia coniectura colligimus fuisse quosdam inquietos, qui libertatem Christianam stare non putarent nisi deturbata ciuili potestate: quare in asserendo magistratuum iure versatur. Deinde optimam rationem præscribit libertatis Christianę, vt intra charitatis & ædificationis terminos cõsistat. Et quoniam ex ceremoniis Mosaicis perpetuum dissidium inter Iudæos & Gentes serebatur, componit omnem inter eos æmulationem sublata superbiendi materia. Docet enim vtrisq; constare salutem sola Dei misericordia, qua subnixi omnem altitudinem deponere, qua inter se coniuncti, in spe vnius hæreditatis vltro citroq; se amplexari debeant. Deinde rursus laude Romanorum mitigat admonitionis acerbitatem, & suam apud illos authoritatem commendat, commemorans quanto plus cæteris promouerit in Euangelio Christi. C. Præterea spem aduentus sui nonnullam facit, (quem se hactenus frustra expetiisse & tentasse in exordio meminerat) addita ratione quæ ipsum in præsens remoretur: quia sibi ab Ecclesiis Macedonicis & Achaicis cura demandata erat perferendæ Hierosolymam eleemosynæ, quam ad subleuandam Israelis egestatem contulerant. Laudans autem spontaneam Macedonum & Corinthiorum in pauperes sanctos liberalitatem, tacite ac verecunde Romanos ad æmulandum prouocat. C. Caput autem postremum totum fere salutationib. absumitur, non frigide cõgestis multorum nominibus, sed mire suo cuiq; addito elogio. Quoniam autem nouerat & pseudoapostolorum improbam versutiam, & Romanorum simplicitatem ac facilitatem, omnium postremo admonet, etiam atq; etiam caueant ne illorũ blandiloquentia fallantur: &, vt tales facilius deprehendantur, eos propriis coloribus depingit. Tandem Christiana eaq; egregia precatione epistolã ipsam claudit. Quod ad sermonis compositionem & ornatum attinet, Paulus adeo non affectauit orationem arte humana compositam, vt eam sibi fugiendam etiam duxerit, ne quid hinc decederet gloriæ crucis. BV. Dictio tamen vel stylus conuenit rebus. Nam grauis est, non vtiq; obscurus, sed decorus & maiestatis plenus, à qua perspicuitatem nemo vnquam separauit. Perspicue ergo & solide scribit Apostolus, modo meminerimus, sacris assuetissimum pectus sic Græce loquutum vt Hebræum interim (vtpote ad Gamalielis pedes institutum) dissimulare non potuerit.

IN PAVLI APOSTOLI EPISTOLAM AD Romanos Catholica expositio Ecclesiastica.

CAPVT PRIMVM.

Al Separatus ad [prædicãdum] Euangel.

PAVLVS seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, † segregatus in Euangelium Dei.

PAVLVS SERVVS. Quum nomen Pauli Romanum sit, non videtur eius interpretatio petenda esse à Græcis, vt quidam fecerunt. A. Quid autem de hoc nomine sentire oporteat, annotauimus in Ca. 13. b. 9. Act. Apostol. SERVVS IESV CHRISTI. B. Significat se solius Christi negotium gerere, ita vt & eius erat, quantus quantus erat. Præter hunc nihil nosse, nihil prædicare, imo nihil spirare, nihil viuere volebat. Hic considerandum est, quam eximius seruus Domini Paulus fuerit, modis scilicet seruitutis Dei omnibus, creatione, opere, fide, vita. VOCATVS APOSTOLVS. C. Hoc addit quo doctrinæ authoritatem conciliet. Quod enim se prædicat seruũ Christi, hoc habuit cum vniuersis doctoribus commune: Apostolatus titulum sibi vendicãdo aliis se anteponit. Sed quia nihil authoritatis meretur qui sponte se ingerit, sed à Deo institutũ & vocatum esse admonet. B. Totus ẽt in eo est, vt omnia diuinæ beneuolentiæ atq; potestati adscribat. Qui n. vocat, is suo arbitratu & dignatione agit. Tum quos verbo sibi quis sistit, & ad quælibet applicat, in eos necesse est habeat potestatẽ. SEGREGATVS IN EVANGELIVM DEI. Quidam segregationem intelligunt vel illam ab vtero matris, de qua meminit Gal. 1. c. 15. vel qua gentib. esse destinatum refert Luc. Act. 13. a. 2. Sed hac selectione Paulus finem simul & vsum Apostolatus exprimit. Voluit enim breuiter indicare, quorsum vocatus ad istam functionem foret. q. d. P. Hæc est mea seruitus, hæc mea functio, & meus Apostolatus, vt prædicem Verbum. C. Hic obseruandum est non omnes esse Verbi ministerio idoneos: in quo requiritur specialis vocatio, imo eis qui sibi maxime idonei videntur, curandum, ne sine vocatione se proripiant. B. Euangelij nomine significat publicam diuinæ beneuolentiæ & salutis annunciationẽ toti orbi inuulgandam. Est igitur Apostolorum officium Euangelij prædicatio. Vnde apparet quam ridiculi sint isti canes muti, qui quum mitra tantum & lituo ac eiusmodi laruis sint conspicui, se tamen Apostolorum successores iactant. Dei. B. Hæc particula maiestatem & diuinitatem prædicationis Euãgelij amplius expressit; vt quod sicut à Deo donatũ est, ita Deum nobis non tam prædicat quam exhibet in Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre vnum est.

2 (Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis.)

QVOD ANTE PROMISERAT PER. B. Hæc parenthesi includenda sunt. Est enim interpositio quædam, in quam sese Apostoli animus extulit,